

Spes


EX SCIENTIA SPES
JULIUS S. HELD

These figures & scenes were designed by Ant. Sallaerts & first engraved on wood by Jegher. - Antwerpiae - C Woons. 1647 after on copper by A.[illegible]dius.

First ed. known to [illegible] 1650.

This is 10 years earlier



PERPETVA CRVX
SIVE
PASSIO
JESU CHRISTI
A PUNCTO
INCARNATIONIS

ad extremum vitæ;
quadragenis explicata iconibus.

Auctore
R. P. JVDOCO ANDRIES è Societ. IESV.



COLONIÆ,
Apud CONSTANTINUM MÜNICH,
ANNO M.DC.L.

Consensu Superiorum, & Privilegio S. C. Majestat.

PERPETVA CRVX IESV CHRISTI

INTERNA, ET EXTERNA,

à puncto Incarnationis ad extremum vitæ.



Nnumeri mortales arbitrantur, CHRISTVM ſupremo dumtaxat vitæ ſuæ die tormenta perpeſſum eſſe, ac tribus horis in Cruce ſuffixum; cùm nihilo-minùs totis triginta tribus annis, id eſt, ut minimùm per *dies duodecim mille & quinquaginta tres* fuerit paſſus, & per *horas ducenties octogeſies novies mille, ducentas, & ſeptuaginta octo*, quaſi PERPETUA ſuſpenſus in CRUCE.

Illud nos docet *Eminentiſſimus S.R.E. Cardinalis* Joannes de Lugo, ex ſacrarum litterarum, Patrúmque doctrinâ. CHRISTVS non ſolùm, *inquit* (a) tempore Paſſionis, ſed toto vitæ tempore paſſus eſt, & triſtitiam habuit. Non ſolùm, *videlicet doluit*, in morte *Lazari*, in qua lacrymatus eſt, ſicut èt quando vidit civitatem Hieruſalem, & flevit ſuper illam; ſed in toto vitæ tempore, in quo habuit ſemper præ oculis hominum peccata, & Paſſionem ſuam; juxta illud *Pſalmi* 37: *Quoniam ego in flagella paratus ſum, & dolor meus in conſpectu meo ſemper.*

Quod

(a) *De Incarnat. diſp.* 22. *ſect.* 2. *n.* 23.

Quod de CHRISTO intelligunt *Chryſoſtomus, Auguſtinus*, *Hieronymus*, *& Gregorius*: ut omittam copioſam aliam ſegetem paſſionum, quas per totam vitam habuit; juxta illud *Pſalmi* 87: *Pauper ſum ego, & in laboribus à juventute mea*; quod de CHRISTO etiam intelligunt *Hieronymus*, *Auguſtinus*, *Euthymius*, & alii. Ita *Ioannes de Lugo*.

Eidem rei planè conſentit *Eminentiſs.S.R.E.Cardinalis Robertus Bellarminus*, qui ſic ſuper eodem Pſalmo 87. loquitur confidenter:

Ne putarent homines CHRISTI Paſſionem trium horarum, aut unius diei tantùm fuiſſe, revelat hîc nobis Spiritus Sanctus CHRISTUM in diebus carnis ſuæ numquam ſine Paſſione vixiſſe. Nam præter calicem mortis amariſſimæ, quam ſemper ante oculos mentis habuit, in omni ætate ſuâ in laboribus & ærumnis fuit. Sic *Bellarminus*.

Hinc intelligimus CHRISTUM tam internam, quàm externam Crucem perpetuò toleràſſe; & nominatim internam, geminâ de causâ, prout diſertis verbis aſſerit præfatus *de Lugo*.

PERPETVA CRVX INTERNA CHRISTI,

partim causata à nostris peccatis; partim ab ipsius suppliciis.

Prima Causa

expenditur ratiocinatione R. P. Leonardi Lessii, *olim in Universitate Lovaniensi S. Theologiæ Professoris*, de Perfect. Divin. lib. 12. cap. 17. n. 133.

Ratio dolendi Domino, *inquit*, potissimùm fuit duplex. Prior, injuria divinæ Majestati per peccatum irrogata. Altera, damnum humano generi inde proveniẽs. Cernebat ille perspicuè, & in particulari peccata omnia, & quanta singulis infinitæ illi bonitati, & Majestati fieret injuria, quanta contumelia, quanta contemptio. Cernebat etiam, quantum malum sit æterna damnatio, quam totum genus nostrum sibi per peccatum arcessierat.

Hinc dolor excitabatur acerrimus. Magnitudo enim doloris, seu tristitiæ sequitur magnitudinem mali, & perfectionem cognitionis, quâ malum illud apprehenditur. Atqui hîc malum erat maximum: tum in ratione culpæ,

culpæ; (erat enim pelagus quoddam peccatorum, & abyssus malitiæ contra divinum Numen)tum in ratione pœnæ: quæ enim maior calamitas, & afflictio fingi potest, quàm sit æterna damnatio? Apprehensio etiam perfectissima. Multò enim exactiùs, & clariùs singula considerabat, & ponderabat, quàm ulla creatura posset. Iraque oportuit èt ipsum dolorem maximum [illegible]; ut qui magnitudini mali, & perfectioni apprehensionis responderit.

Vnde non dubitaverim affirmare, hunc dolorem sufficientissimum fuisse, ad vitam Domino millies eripiendam, si vim suam in corpus exercere permissus fuisset. Quòd enim magnitudo doloris animi, seu mœstitiæ vitam intercipere & hominem occidere possit, multis exemplis constat. *Hæc omitto.*

At dolor, quo Dominus noster de peccatis nostris doluit, longè major fuit, & intensione, & æstimatione, quàm ullus dolor, qui in hominem cadere possit. Sed dispensatoriè factum est, ne vis ejus in corpus se proferret, nisi quando, & quantùm Domino videretur.

Fuit hic dolor continuus ab initio conceptionis usque ad finem vitæ, sicut èt apprehensio peccatorum. Quamvis non semper æquè in appetitum inferiorem, & corpus permissus sit redundare; sed interdum plus, interdum minùs, prout occasiones exteriores, & tempus, & locus postulabant. Maximè

autem illi laxatæ habenæ in horto, quando sudorem sanguineum expressit, & reliquo Passionis tempore.

Eadem Causa

expenditur ratiocinatione S. Matris Theresæ (*cujus* Cœlestis Doctrinæ pabulo nutriri *orat Ecclesia*) in Castello animæ, Mansione 5. cap. 2.

TOrmentum, *ait*, quale Dominum nostrum sensisse, & quàm amaram vitam duxisse, cùm omnia ei essent præsentia, & enormes quæ in Patrem suum committebantur offensæ, semper ante oculos haberet, & identidem videret, existimandum est? Ipsa mihi persuadeo, & propè certa sum, multò majora, & atrociora hæc tormenta fuisse, quàm quæ in sacratissima sua Passione pertulit.

Et infrà.

Tam continuò tot in illius Majestatem injurias, & offensas committi, & tot animas, velut agmine facto, in tartarum prolabi videre; id ego quidem, tam durum, & digestu difficile existimo, ut (nisi plusquam homo fuisset) unum talis tormenti diem satis futurum fuisse credam, ad multas vitas, *quantò potiùs unam*? conficiendas.

Alte-

Altera Causa

CRUCIS internæ PERPETUÆ, ob proprios cruciatus,

consideratur ab Eminentissimo S. R. E. Cardinali Roberto Bellarmino, de Gemitu Columbæ, l. 2. c. 3.

TOta, *inquit*, CHRISTI vita *Perpetua* Passio, & p[illegible]io *Crucis* dici potuit. Siquidem ab ipsa conceptionis hora cognovit sibi *Crucem* esse paratam; & semper eam ante oculos sic habuit, ut verè dici possit toto vitæ suæ tempore in *Cruce* pependisse.

Idem ibidem.

Quoniam Dominus noster toto vitæ suæ tempore *Crucem* suam, & tormenta singula, & eorum acerbitatem certissimè noverat, in eo sine dubitatione ullâ, summum gradum acerbitatis, & vehementiæ habuerunt.

Ergò, Anima Christiana, (*sic infert idem Auctor*) ex hac tam continua *Crucis* bajulatione, collige Dominum tuum, nullam quietis horam habuisse; sed assiduò dies & noctes in salute tuâ operandâ occupatum fuisse. Et poteris sine lacrymis cogitare, te salutis tuæ oblitam, multas sæpè horas in confabulatione, vel ludis otiosè consumpsisse: *ne dicam in erubescendis flagitiis, nimis ah! tibi, sed Deo magis cognitis.*

Eadem Causa

consideratur à R. P. Joanne Eusebio Nierembergio, *in Regia Academia Madritensi sacrarum litterarum Professore,* l. 2. c. 5. de Adoratione in spiritu & veritate.

DEbent nos commovere, *inquit*, quæ passus est per totam vitam in uno membro, sanctissimo suo Corde: cujus dolor immensus fuit, à primo instanti suæ conceptionis, & duravit quamdiù vixit.

Non minor afflictio latuit in corde IESV ab illo instanti, quàm habuit in Horto, cùm sudavit sanguinem per omnia membra. Quemadmodum illìc ex vivida apprehensione dolorum, & cruciatuum Passionis suæ, insolito, & terribili modo afflictus fuit; sic etiam æquè intensè apprehendit eosdem dolores in utero amantissimæ Matris. Cognitio enim CHRISTI non fuit imperfecta, eo maximè tempore, quo negotium nostræ redemptionis acceptavit, & proposita ei fuit, sine ulla dissimulatione, omnis difficultas toleranda, & vincenda.

Continuatus deinde fuit ille mœror per omnem vitam. Nisi divinâ dispensatione adjutus fuisset, illo ipso instanti quo cœpit vivere, mortuus fuisset præ doloris magnitudine. Ideo maximum, & continuum miraculum fuit vita IESV.

Exclama cum eodem Auctore: O si conside-

ſiderarem hæc opera tua, Domine, quomodò expaverem! Vtinam fieret cor meum tamquam cera liqueſcens! Ponam ut ſignaculum ſuper cor meum, illud Cor mœſtum amantiſſimi IESV, quod perpetuò crucifixum fuit. Sic in memoria habebo, & tabeſcet in me anima mea.

Varii Scriptores ævi noſtri ſubſcribunt huic doctrinæ de interna perpetua Cruce.

PRæter Eminentiſſimos S. R. E. Cardinales *Bellarminum* & *de Lugo*; præter *Leſſium* & *Nierembergium* locis ſuprà citatis, plures ſunt alii; qui in eamdem ivêre ſententiam,

Ioannes Lorinus, *Pſal.* 37. *v.* 18.

Cornelius à Lapide, *Matth.* 26. *v.* 37.

Balthaſar Corderius, *Pſalm.* 87. *v.* 16.

Antonius de Gaudier, *de natura & ſtatibus perfect. de inſtrument. ſect.* 12. *cap.* 5.

Franciſcus Arias, *de Imitatione* IESV CHRISTI, *parte* 3 *cap.* 22. *Tract.* 1.

Ioannes Baptiſta Sainct-Iure, *de cognitione & amore Dei, lib.* 1. *cap.* 11. *ſect.* 1.

Gabriel Vaſquez, *Tom.* 1. *in* 3. *p. q.* 18. *art.* 6. *Diſp.* 73. *cap.* 4. *n.* 28.

Admodum R. P. Vincentius Carrafa Generalis Societatis IESV, ſub nomine *Aloyſij Siderei, de via cæli, cap.* 6. §. 9.

Hi duodecim Scriptores è ſolâ Societate

JESV adducti ſunt, prætermiſſis aliorum Ordinum aliis, qui eidem ſententiæ ſuffragantur. Ita in Julio anni ſuperioris valdè eruditum, piúmque Tractatum de PERPETVA CRVCE Bruxellis edidit Rever. & Eximius *P. F. Thomas Leonardi*, è Divi Dominici familia S. Theologiæ Doctor. Is deinde Libellus poſt paulò in Gallicum idioma translatus eſt, à R P.F.M. *Tramu*, ejuſdem Ordinis S. Theologiæ Doctore.

Porrò ſub manibus jam eſt ejuſdem Typographi (qui haſce 40. Iconas variâ linguâ imprimit) augmentum *Præludii de Perpetua Cruce IESV CHRISTI, à puncto Incarnationis ad extremum vitæ*, Bruxellis etiam vulgati, paulò ante prædictum Tractatum, ſubnexâ admodum ſingulari, atque efficaci commendatione Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Mechlinienſis, 22. Martij 1648.

CHRISTVS

præter internam externas varias Cruces omni vita ſuſtinuit,

PRimò (ô rem omni admiratione majorẽ!) *cùm in forma Dei eſſet, ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens*, (a) in eâque perſeverans. Hæc Crux illi, videlicet Maximæ Majeſtati, gravior accidiſſe cenſenda eſt, quàm Pontifici Maximo, aut Cæſareæ Majeſtati pro ſuis

(a) *Philip.* 2.

suis subditis perpetuum mancipium, imò bestiam fieri, ac permanere.

Secundò, potuisset quantocyùs, teste *Chrysostomo, Theophylacto, Oecumenio*, gloriam ac beatitudinem animæ suæ in corpus derivare, prout fecit in monte Thabor; verùm nostri amore per continuum miraculum, sese per omnem vitam tantâ felicitate privavit, *habitu inventus ut homo*, (a) similis nobis mortalis, atque passibilis.

Tertiò, tametsi mortalis fuisset, nihilominùs fas illi erat, in omni rerum opulentia, atque imperio vivere, instar *Salomonis* alicujus, & ita salutem párere universis. (b) Maluit ille præ omnibus divitiis, omnem eligere paupertatem: *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos; filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* (c) Deinde loco perennis imperii, perpetuò subjectus ac subditus fuit, sive parentibus, sive Judaicæ legi duræ, atque servili: *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem.* (d)

Quartò, sustinuit *Perpetuam Crucem*; quia totâ vitâ *Crux* una *Cruci* alteri, catenatâ serie successit, ut patebit ex quadraginta iconibus, quæ hîc subsequuntur.

(a) *Ibidem.*

(b) *Rupert. ad Hebr.* 12. (c) *Matth.* 8.

(d) *Philip.* 2.

Brevis Methodus piè, utilitérque utendi hisce Iconibus.

1. A Latere tuo lævo titulum lege, & subscriptionem imaginis, & spatio *Pater & Ave* perpende, CHRISTVM ab æterno desiderâsse, illud in tempore tui amore tolerare.

2. A dexterâ parte reflecte ad convenientiam typi, atque prototypi, eâdem temporis morâ.

3. Ex Dei amore subjectam precationem attentus evolue, téque offer, ut isto die pro CHRISTO aliquid patiaris, aut agas.

Prolixior Methodus.

POndera in quoque Mysterio unam, pluréśve ex sequentibus circumstantiis.

1. *Quis patitur?* Deus infinitæ Majestatis.

2. *Quid patitur?* quod valdè molestum est; præsertim accedente internâ CRVCE PERPETVA, & admodum gravi.

3. *Pro quo?* pro me vilissimo peccatore.

4. *Quare?* pro meo solatio, ope, salute.

5. *Quo loco?* ubi patientiæ, aut alterius virtutis major occasio.

6. *Quo tempore?* ipsi incommodo, mihi salutari.

7. *A quibus?* ab iis, qui luctum augent.

8. *Quo-*

8. *Quomodo ?* tam cordato affectu, ut omni momento paratissimus fuerit centies millies ampliùs pro me pati. Has circumstantias in externa CHRISTI Passione eleganter expendit *Sidronius de Hossche* Societatis IESV.

Quis patitur? rerum Dominus, de Numine Numen.
Quid patitur? lacero corpore mille neces.
Pro quibus ? ingratâ pro turbâ, & gente rebelli.
Cur? nos carnifices feruet ut ipse suos.
Quis locus ? infamis pœnis, & morte nocentûm.
Quando? cùm poterant facta probare Deum.
A quibus? à notis, & avito sanguine junctis.
Quomodò ? non servans ullum in amore modum.

Sed tu duo insuper quære, si placet. *Quid hactenus rependi ?* vix aliquid boni; imò plurimum mali pro bonis innumeris.

Quid rependam impoſterum ? hodie hoc N. agam, & illud N. patiar, amore Amatoris mei.

Consultum quoque adjungere aliquem ex septem affectibus, quos mystici Doctores passim adferunt.

1. Commiserationis. 2. Gratiarum actionis. 3. Contritionis. 4. Admirationis. 5. Amoris. 6. Fiduciæ. 7. Imitationis; quos idem *Sidronius* sic expressit, in superiori argumento.

Affectus ad CHRISTVM patientem.

1. *Commiſerationis.*

Si ſpecto ſiccis oculis tua Vulnera, CHRISTE;
Sum Cruce, ſum clavis durior ipſe tuis.

2. *Gratiarum actionis.*

Ut fuſo tibi, Chriſte, ferā pro ſanguine grates,
Nulla ſatis longum ſæcula, tempus erunt.

3. *Contritionis.*

Pœnitet! & meritò. Lacrymis non illa pietur,
Quæ tibi, magne Deus, ſanguine, culpa ſtetit?

4. *Admirationis.*

Quis ſatis hoc capiat, pro me per vulnera mille,
Et potuiſſe Deum, nec dubitâſſe mori?

5. *Amoris.*

Me pete, Amor, telis in Chriſti ſanguine tinctis:
Quem læſi toties, ſic ego læſus amem.

6. *Fiduciæ.*

Spes fugit, ante oculos mea dum mihi crimina pono;
Cùm tua reſpicio, Vulnera, Chriſte, redit.

7. *Imitationis.*

Chriſte, mihi Dux es: quæ belli præmia ſperem,
Si quà Dux ieris, non ego miles eam?

O ama-

O amator Iesv perpetuò pro te Crucifixi, en quanta opportunitas honoris, & amoris ejus propagandi, non modò in familia tua, ſed in Carceribus, Noſocomiis, Cœnobiis, in Navibus, Scholis pauperum, Oppidis: denique inter Dominos Paſtores, Confeſſarios, Catechiſtas, &c.



1. Ab æterno Crvx electa.



In misericordiâ sempiterna misertus sum tui; dixit Redemptor tuus Dominus. *Isaiæ 54. v. 8,*

TYPUS. AGNUS.

Qui occisus est ab origine mundi. Apocal.13.v.8.

PROTOTYPON.

Ab æterno se promptum exhibuit Servator noster, ut in tempore pro nobis in Cruce moreretur.

PRECATIO.

A Deóne ab æterno dilexisti me, ô nimia Charitas, ô Deus totius consolationis? Potuisses me cum apostatis Angelis supplicio damnare perpetuo: & ecce non tantùm pepercisti mihi, verùm etiam decrevisti pro me homo fieri, & in omni inopiâ vivere, & cum omni opprobrio mori.

O bonitas! ô benignitas! Vtinam ab æterno fuissem, & te ab æterno amare potuissem! Vtinam nunc saltèm amem te; sed amem ex toto corde, amem ex tota anima, amem ex omnibus viribus meis!

Sed qui fieri potest, ut divellere queam amorem meum ab eo, qui eum tam diù procatus ac meritus est, & è contrario eumdem spontè offerre juratis hostibus illius & meis, id est, concupiscentiis vel his, N. vel illis N? Absint à me insaniæ istæ falsæ, ô Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum! Amen.

2. Ab Incarnatione Crux interna.



Ingrediens mundum, dicit: Hoſtiam & oblationem noluiſti; corpus autem aptâſti mihi. *Heb.10.v.5.*

TYPVS. SAMSON.

Erit puer Nazaræus Dei, ab infantia ſua, & ex utero matris ſuæ, uſque ad diem mortis ſuæ. Iudic. 13. v. 5.

PROTOTYPON.

A primo ad ſupremum vitæ diem, loco veterum victimarum, CHRISTVS *nova fuit oblatio.*

PRECATIO.

A Primo conceptionis tuæ momento ad ultimum vitæ ſuſpirium, ùt amoris adverſum me tui incendium, ita èt patiendi pro me deſiderium, inflammari cœptum eſt.

Jam tum quæſîſti, cupiiſti, anhelâſti, ô amabilis Deus, holocauſtum tuum, Patri cœleſti, pro peccatrice hac anima mea, in Ara CRVCIS offerre.

Serò te cognovi, ô Amor immenſe, ſerò te cognovi! O bonitas infinita, quare non aliter hactenus te amavi? Modò, modò, & reliquis diebus vitæ meæ ardenter exopto, amore tui ſolius ardere. Ah! non ita deviem à recto, ut declinem cor meum, ad hanc N. vel illam N. rem creatam, ubi Creator meus inclinat cœlos, & fit homo. Nec hoc tantùm; ſed factus homo, pro me homine miſerrimo, ſingulis momentis paratus eſt mori. Amen.

3. A Nativitate CRVX externa.



Parvulus natus est nobis. Factus est principatus super humerum ejus. *Isai. 9. v. 6.*

TYPVS, MOYSES INFANS.

Sumpsit fiscellam scirpeam, & linivit eam bitumine: posuitque intus infantulum, & exposuit eum in carrecto ripæ fluminis. Exodi 2. v. 3.

PROTOTYPON.

Christus ærumnis expositus, natus in stabulo, fasciis involutus, in præsepio reclinatus.

PRECATIO.

O Amantissime IESV, potuisses omni honore affici, immensis opibus abundare, perpetuâ affluere voluptate; & ecce meæ salutis causâ, dedecus pro honore, inopiam pro opibus, pro voluptate molestias elegisti.

Quid sentis, aut censes, ô anima mea, super hoc? Anne hæc proba electio? Sapientia Patris æterni, sciens reprobare malum & eligere bonum, ita sensit, ita censuit, ita fecit. Quid tu facies? O Deus meus, ô lux vera, illumina tenebras meas, ut intimè perspiciam vanitatem honoris, pericula divitiarum, turpitudinem voluptatum; útque hac veritate perspectâ, paratus sim tecum eadem repudiare, aut saltèm iisdem non frui, sed uti, & quidem, prout par est, admodum temperatè. Amen.

4. Circumcisio.



Consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer. *Lucæ* 2. *vers.* 21.

TYPVS. SEPHORÆ FILIUS.

Tulit Sephora acutissimam petram, & circumcidit filium suum, *& ait* marito; *Sponsus sanguinum tu mihi es.* Exodi 4. v. 25.

PROTOTYPON.

Octiduò à nativitate suâ circumcisus est parvulus IESVS.

PRECATIO.

DEus eras, parvule IESV, & eras innocens filius Virginis innocentis; unde nec opus tibi circumcisione. Voluisti intereà inuri stigmate peccatoris, & subjici legi. Eja Domine, circumcide cogitationes, verba, opera servi tui; ut nihil cogitem, loquar, agam, quod tuis sanctis legibus, aut tuæ sanctissimæ sit contrarium voluntati. Quin-imò sint omnia cogitata mentis meæ, de te, vel propter te; omnia verba oris mei, de mandatis tuis; omnia opera manuum mearum, ad faciendas justificationes tuas.

Ecce tibi, Domine, cor meum; labia mea; manus meæ in obsequium tuum. Verùm ex indole suâ dissoluta, & incircumcisa, tu viribus gratiæ tuæ colliga, & circumcide pro arbitrio tuo & salute meâ. Id obsecro, Domine, per nomen Salvatoris, quod nunc primi sanguinis pretio comparâsti. Amen.

5. Oblatio in Templo.



Tulerunt eum in Hieruſalem, ut ſiſterent eum Domino. *Luc.* 2. *v.*22.

TYPUS. SAMUEL.

Adduxit eum ad domum Domini in Silo. Puer autem erat adhuc infantulus; & immolaverunt vitulum, & obtulerunt puerum Heli. 1. Reg. 1. v. 24. & 25.

PROTOTYPON.

nfans JESUS *per manus parentum ſuorum in templo oblatus eſt.*

PRECATIO.

O Pacis Princeps, natus orbe pacato, introiens Hieruſalem pacis urbem, offerens pacis victimam, in hoc primo in Templum pacifici Salomonis ingreſſu, nónne ætam, nónne paciferam apprecationem cum ligniſſimâ Matre expectabis? Audi quiſquis es, & obſtupeſce.

Benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam matrem ejus: Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & in eſurrectionem multorum in Iſraël, & in ſignum ui contradicetur; & tuam ipſius animam per-ranſibit gladius.

O quàm à paucis iſta benedictio & cœli faor intelligitur! Ut ut eſt, me & quidquid neum eſt libens offero ad nutum omnia bene noderantis Dei, optóque eamdem benedictionem, quam impetravit benedicta inter mulieres, & benedictus fructus ventris ejus JESUS. Amen.

6. Fuga in Ægyptum.



Surge, & accipe Puerum, & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum.
Matth. 2. v. 13.

Descendi

Typus. Abram.

Deſcendit Abram in Ægyptum, ut peregrinaretur ibi, Gen. 12. v. 10.

PROTOTYPON.

Ut ſubduceret ſe gladio furentis Herodis, Joſeph cum matre, ejúſque filiolo ſeceſſit in Ægyptum.

PRECATIO.

PUer parve, Deus magne, cœleſti extorris patriâ, in humili Nazareth, in utero pauperculæ Virginis delituiſti: numquid non ſat durum tibi illud exilium? Coactus fuiſti in Bethleem, vilis ſtabuli angulum à beſtiis mutuari: numquid non ſat aſperum èt illud exilium? Eheu! Ut cruentam rabiem Regis ſævientis evaderes, Judææ commodis, amicorúmque ſolatio pro me abdicatis novus exul effectus es.

Domine Jesu, per hunc perſecutoris gladiũ, per omnia hujus fugæ, viarum, & ſoli peregrini incommoda te vehementer obteſtor, ut mihi maſculum robur addas; quo univerſas humanæ vitæ difficultates, tædia, moleſtias, pericula, ærumnas tolerem patienter, imò èt libenter; ut tandem tranſacto hoc exilio, in tuâ meâque te patriâ valeam intueri in omnes æternitates. Amen.

7. Amiſſio pueri duodennis.



Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te. *Luc.* 2. *v.*48.

TYPUS. TOBIAS JUNIOR.

Cœperunt ambo ſimul flere , eò quòd die ſtatuto minimè reverteretur filius eorum ad eos. Tob. 10.v.3.

PROTOTYPON.

Admodùm ſolicitè fuit quæſitus à parentibus puer duodennis, dum eſſet amiſſus.

PRECATIO.

O Sapiens puer, & generoſe, pluris æſtimâſti cœleſtis imperium Patris, quàm terrenæ lacrymas matris, licèt earum conſcius eſſes, teneréque ſentires: ut me doceres omnem humanum exuere affectum, etiam adverſus maximè propinquos, cùm ſic placitum Deo eſt; tametſi illud, non ſine meo ſenſu, ac dolore contingeret.

Verùm quid de me fiet, ô amabilis Domine, cùm te, non citra culpam, quemadmodum parentes tui, ſed nocens amiſero? Meliora opto & volo: ſi tamen id piaculi eveniret, rogo ſuppliciter, per innocentiam parentum tuorum, ut te amiſſum ardenter deſiderem; deſiderando ſtudioſè quæram; quærendo feliciter inveniam; inveniendo impensè amem; amando vigilanter conſervem; ſervando numquam ampliùs perdam. Amen.

8. Labor fabrilis.



Nónne hic eſt faber Filius Mariæ?
Marci 6. v. 3.

TYPUS JACOB.

Per viginti annos in domo tua servivi tibi, Gen. 31. v. 41.

PROTOTYPON.

Christus annis multis vulgaris instar opificis, fabrilibus muniis, & domesticis functionibus operam impendit.

PRECATIO.

O Regia, ô Divina Majestas, síccine tuæ infinitæ dignitatis oblita, usque eò te abjecisti, ut tibi victum & amictum servilibus operibus, & labore manuum comparares? O magni Dominatores Europæ, Asiæ, Africæ, intuemini magnum illum Architectum cœlorum atque terrarum, ex alieno præscripto ligna componere, aptare, metiri, serram reciprocare, totum mechanicum esse. Obstupescite cœli super hoc, & vos terræ admiramini vehementer.

O si tam beatus essem, ut probè intelligerem, atque intimè caperem, quàm salubre sit, ignotum atque despectum sæculo vivere, sedulóque conari soli Deo notum esse, & ab eo æstimari! O vana studia, & inanes cogitationes meæ! Da mihi, Domine, ut te imitari valeam, tibi soli & tecum laborare; & erit hæc merces mea magna nimis. Amen.

9. Mors S. Josephi.



Adfuit morienti JESUS & MARIA, teste *Bernard. Senens. Tom. 3. a. 2. c. 3. p. 462.*

TYPUS. JOSEPH.

Mortuus est: & conditus aromatibus, repositus est in loculo, in Ægypto. Gen. 47. v. 25.

PROTOTYPON.

Ut *Patriarcha* Joseph *in cōspectu fratrum suorum, quos aluerat, vitâ functus est; ita* S. Josephus, *præsentibus* JESU *&* MARIA, *quos suo labore nutrierat.*

PRECATIO.

O CHRISTE Medicorum supreme, ecce quem amas infirmatur, & infirmatur ad mortem; tantùm dic verbo, & repentè sanabitur.

Sed respondes, necdum advenisse tempus illud, quo miracula perpetres, juxta arcanum tui Patris decretum, quod aves perfectissimè exequi, tametsi divulsionem hanc, unà cum charissima matre tua, sentias vehementer.

Voluntas Dei unicum vobis solatium est; quod ut idem mihi obtingat, in omni rerum occursu, submissè flagito. Nihil potest esse securius, atque felicius, quàm ubique, etiamsi sensus abhorreat, divinis consiliis, & voluntati acquiescere. Da mihi istam gratiam, Domine: simul et hanc, ut JESU, MARIA, JOSEPHO præsentibus, aut certè faventibus, moriar. Amen.

10. Tentatio Diaboli.



Accedens tentator dixit ei: Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. *Mat*.4.v.3.

TYPUS. JOB.

Dixit ergò Dominus ad Satan: Ecce in manu tua eſt. Job 2. v. 6.

PROTOTYPON.

Ductus eſt Dominus à Spiritu in deſertum, ut tentaretur à Diabolo.

PRECATIO.

CHRISTUS Leo de tribu Juda, ſub pedibus ſtravit rugientem leonem, infernum leonem, juratum animarum noſtrarum hoſtem. Jam tum uſque modò illum catenis ſtrinxit aëneis, ut nulli nocere poſſit niſi volenti. Jubas quidem erigere, dentibus terrere, ungues explicare, oculis micare, rugitum edere poteſt; vim facere, mordere, vulnerare nequit invitum.

Intereà cùm nemo unus, ſive immaturæ ſive maturæ ætatis, aut hujus aut illius ſtatûs aut ſexûs, acceſſum, inſidias, terriculamenta iſtius poſſit evadere; indue me, fortiſſime Deus Iſraël, virtute ex alto, ut ad extremum vitæ in hac arena victor exiſtam, ac tandem inter gratulabundos mihi Angelos, in regnum tuûm victrici lauro coronatus admittar. Amen.

II. Fatigatio ad fontem.



JEsus ergò fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſupra fontem. *Joan. 4. verſ. 6.*

Typus. Eliezer.

Pauxillum aquæ mihi ad bibendum præbe de hydriâ tuâ, Gen. 24. v. 17.

PROTOTYPON.

Christus defatigatus, aliquid aquæ ad bibendum petit à muliere Samaritanâ.

PRECATIO.

TEcum foràs evolo, te ſequor, ô magne, ô divine venator animarum, qui non obſtante laſſitudine inſéqueris hanc lupam ſuo antro egreſſam, & circa puteum hærentem artificiosâ cingis indagine, donec irretias.

Doce me, & omnes mecum, veſtigare ejuſmodi belluas, id eſt, quærere vagas, ſylveſtres, perditas animas, & feliciter in caſſes tuos ſive precibus allicere, ſive armatâ eloquentiâ cogere, ſive quacumque aliâ ope, operáque compellere intrare.

Sed quis mihi dabit, ut inſatiabili ardore, & indefeſsâ curâ inſudem iſti operi, adeò tibi accepto, ut id propter cœlum lubens deſerueris, quò poſſes in hiſce ſpelæis, carrectis, latebris terrarum errantes feras indagare. Veniſti enim quærere, & ſalvum facere quod perierat. Da mihi hoc ipſum quærere, & tecum ſalvare. Amen.

12. Irrisio.



Nónne bene dicimus nos; quia Samaritanus es tu, & Dæmonium habes? Joan. 8. v. 48.

TYPUS. ELISEUS.

Illudebant ei dicentes: ascende calve, ascende calve. 4. Reg. 2. v. 23.

PROTOTYPON.

Contumeliosis verbis CHRISTUS *impetitur.*

PRECATIO.

Vitam ab omni labe, ac reprehensione immunem duxisti, mi Domine, populúmque sanâ sanctâque doctrinâ instituisti; & ecce velut Samaritanus tradúceris, & indignus qui cum Judæis agas; imò notaris tamquam malo possessus à Dæmone. Interim imperturbatè, atque pacificè illis respondes.

Ubi jam nos? qui nec unum duriusculum verbum, nutum, oculúmve aversum, nedum graves contumelias ferre valemus, aut volumus? Et tamen in agendo, & loquendo sæpenumerò culpandi sumus?

O mitissime mortalium Christe, per suavitatem & benignitatem tuam te obsecro, ut mihi, & universis hominibus spiritum tuæ mansuetudinis largiri digneris. Amen.

13. Decollatio Baptistæ.



Decollavit eum in carcere, & attulit caput ejus in disco, & dedit illud puellæ. *Marc. 6. v. 28.*

TYPUS, JOSIAS.

Universus Juda & Hierusalem luxerunt eum. 2. Paral. 35. v. 24.

PROTOTYPON.

Iniquâ cæde plectitur innocens præcursor Servatoris, meritò flebilis omnibus bonis.

PRECATIO.

INdignissima hæc fuit crudelitas, quæ hominem sacrum, hominem sanctum profanis ac sacrilegis manibus, ad votum saltatriculæ alicujus, tempore convivii è medio sustulit.

Infausta hæc & tristia nuntia de cæde præcursoris, & consanguinei tui, ad te sunt perlata, ô CHRISTE JESU, simul prænuntia tuæ amatissimæ mortis. Siquidem scriptum est; illum oportet minui, te autem crescere; id est, minuetur ille capite, tu verò attollêris in crucem.

Suffice mihi vires, benignissime Domine, ut adversa omnia, sive quæ mihi, sive quæ cognatis, & amicis meis obventura sunt, pro salute meâ æquanimiter tolerem. Amen.

Lapi-

14. Lapidatio.



Sustulerunt ergò lapides Judæi, ut lapidarent eum. *Joan.10.v.32.*

Semei

Typus. David.

Semei maledicebat, mittebátque lapides contra David. 2.Reg.16.v.6.

PROTOTYPON.

Judæi præter rationem indignabundi, CHRISTUM *lapidibus impetere properant.*

PRECATIO.

VAh ingrati Judæi! propter quod opus Meſſiam veſtrum lapidare decernitis? An quia cæcis veſtris viſum, ſurdis auditum, claudis greſſum reſtituit? An quia leproſos mundavit, ægros perſanavit, obſeſſos à Dæmonibus liberavit, mortuos ſuſcitavit?

Jam verò quid miri eſt, ſi in illis, quibus familiariter & amicè uſus, & de quibus quandoque bene meritus ſum, ingrati animi nonnulla argumenta comperiam? Si averſionem pro benignitate, ſi malevolentiam pro beneficentia, ſi amaritudinem pro ſuavitate, ſi odium pro dilectione recipiam? Deſidero, Domine, tuâ fretus gratiâ, videre & ferre ingratos animos, qui mihi reddant mala pro præſtitis bonis. Amen.

15. Præcipitatio de monte.



Ejecerunt illum extra civitatem, & duxerunt illum uſque ad ſupercilium montis; ut præcipitarent eum. *Luc.4.v.29.*

Appre-

TYPUS. JEREMIAS.

Apprehenderunt eum sacerdotes & Prophetæ, & omnis populus, dicens: Morte moriatur. Jerem. 26.v.8.

PROTOTYPON.

Judæi quasi impetu facto, irruerũt in CHRISTUM, *ut eum è medio tollerent.*

PRECATIO.

Fons & origo vitæ ad mortem rapitur; & temerarii homines eum de monte præcipitem dare satagunt, qui eosdem momento unico possent in flammas præcipitare perpetuas. Insensati, furentem sistite impetum, neque debitum tempus præoccupate. Veniet dies illa, quâ spontè diversos tendet ad mõtes: ad montem Thabor; ut divinitatem manifestet: ad montem Oliveti; ut pro vobis aquam sudet & sanguinem: ad montem Calvariæ; ut pro vobis in Crucem agatur.

O clemens Domine, per illam injuriam, quæ hîc insonti infertur, identidem rogo, ne permittas nos in peccatorum & damnationis præcipitium ferri; sed duc nos in montem Sion cœlestis Jerusalem. Amen.

16. Valedictio Matris.



Seorſum colloquens cum ea, & copiam ei ſuæ præſentiæ præbens, quam in brevi ſubtracturus erat ab ea. *Ita S. Bonavent. c. 72. Medit. vitæ Christi.*

Typus. Sara.

Suum unigenitum Iſaac *in montem* Moria *ad ſacrificium tendentem, dolens à ſe dimittit. Nam conjcta fuit necis futura, juxta* Auguſtinum de Tempore, Serm.73. Tom.10. Gen.22.v.3.

PROTOTYPON.

Chriſtus amantiſſimæ Matri valedicit, priuſquam ſe accingat, ut mortem oppetat in monte Calvariæ.

Precatio, & Deiparæ Valedictio.

Siccine abis, Dilecte mi, ô gaudium meum, ô amor meus, ô vita mea, ſíccine abis? O dura divulſio! O ſi poſſim pro te, aut ſaltèm tecum mori! Quòd ſi id fieri nequeat, ſed dividiſit neceſſe, da mihi ad genua tua provolutæ ſupremam benedictionem, & oſculum, fili mi, & eò proficiſcere, quò Pater vocat.

Si tanto pretio tibi emendæ ſunt mortalium animæ, fiat tua & voluntas ejus. Manebo ego interim ſuperſtes mater, non jam mater, ſed flentis & orbæ infelix ſimulacrum. Ira divinitus decretum eſt; ita fiat. Si non poteſt fieri ut tranſeat calix iſte; non mea, ſed tua voluntas fiat.

O Mater dolorum, ô fili *Bennoni*! date omnibus qui amant vos, & hujus triſtitiæ meminerunt in ſuo ab hac vita diſceſſu, lætitiam ſempiternam. Amen.

17. Ultima cœna.



Edentibus illis dixit: Amen dico vobis, quia unus veſtrûm me traditurus eſt. *Matt.26.v.21.*

TYPUS. AGNUS PASCHALIS.

Tollat unusquisque agnum per familias, & domos suas. Exodi 12. v. 3.

PROTOTYPON.

CHRISTUS *verus Agnus se apposuit edendum in ultima cœna, etiam suo proditori.*

PRECATIO.

DEsiderio desiderâsti, Domine, hoc Pascha manducare cum Apostolis, eísque vitale epulum apparare, vitæ præludium sempiternæ. Interim cùm jam bene-auspicatum illud tempus advênit, ex intimo corde suspirans ac gemens quéreris: *Amen dico vobis, quia unus vestrûm me traditurus est.* Quid tandem est causæ?

Judas filius perditionis, tanti est causa mœroris, qui proditionem animo coquit, & pro ferculo vitæ, mortis pabulum est suscepturus.

Absit equidem à me, procul absit nimia ista perversitas, ut animo inquinato, ac pollutâ consciențiâ, velut proditor, Eucharisticam mensam accedam, téque, ô suprema bonitas, lethaliter offendam, atque contristem. Prius mihi contingat millies mori! Amen.

18. Hortus Gethſemani.



Pater, ſi vis, trãsfer calicem iſtum à me : verumtamen non mea voluntas, ſed tua fiat. Apparuit autem illi Angelus de cœlo cõfortans eum. *Luc.22.v.42.*

Petivit

Typus. Elias.

Petivit anima ſua ut moreretur, projecitque ſe. & obdormivit in umbra juniperi: & ecce Angelus Domini tetigit eum. 3.Reg.19.v.4.& 5.

PROTOTYPON.

Christus *humi proſtratus, & uſque ad mortem afflictus ab Angelo roboratur.*

PRECATIO.

ITáne modo ſupra omnem modum ſtupendo diligis me, ô amator mi, & ego numquam redamabo te ex toto corde meo? Gravaris & prémeris anguſtiis magnis, & dolore magno defles peccata mea hæc N. & illa N; & ego éadem non deteſtabor in-poſterum? Video irati Patris armatam manum, non tantùm mińari, ſed in te ſævire ob iniquitates meas; & ego non deſiſtam peccatis accumulare peccata?

Hoc ipſo momento execror univerſa delicta mea, ſeu magna, ſeu parva; & deteſtor memetipſum, & omne illud, quod quâlibet ratione ad peccandum me potuit, & poteſt allicere; ut te, Deus meus, unicum unicè amem. Si quid moleſtiæ aut difficultatis occurrat in hoc exequēdo, adſit mihi Angelus meus, qui animos addat, & conſtanter opituletur. Amen.

19. Osculum Judæ.



Confestim accedens ad JESUM, dixit: Ave Rabbi, & osculatus est eum. *Matth.26.v.49.*

TYPUS. AMASA.

Dixit itaque Joab ad Amaſam: Salve mi frater. Et tenuit manu dexterâ mentum Amaſæ, quaſi oſculans eum. 2. Reg. 20. v. 9.

PROTOTYPON.

CHRISTUM *Judas amicè ſalutando, & oſculando, inimicis tradidit.*

PRECATIO.

O Fili hominis, omnium hominum manſuetiſſime, qui proditorem, qui te comprehenſoribus tradit, appellas amicum, & velut amicum amplécteris, ne avertas faciem tuam amabilem à me; quia ego ſervus tuus ſum, Domine, ego ſervus tuus, & filius ancillæ tũæ.

O bonitas ſuperexcedens omnem bonitatem, hæc eſt indoles benigniſſimi cordis tui, neminem aſpernari; quin-imò de peſſimis hoſtibus mereri quàm optimè. Unde fidenter totum me conjicio in piiſſima brachia tua, cupidéque deſidero in eorum complexu mori, priuſquàm graviori aliquo crímine te offendam, rurſúmque innocentem ſanguinem tradam. Amen.

s ad Je.
& oſcul
. v. 49.

20. Torrens Cedron.



Egreſſus eſt cum diſcipulis ſuis trans torrentem Cedron. *Joan. 18. verſ. 1.*

In eumdem præcipitatus eſt. *Vide Adrich. in deſcript. Hieruſ. n. 207.*

Omnes

TYPUS. DAVID.

Omnes flebant voce magnâ, & universus populus transibat: Rex quoque transgrediebatur torrentem Cedron. 2. Reg. 15. v. 23.

PROTOTYPON.

Dominus per torrentem Cedron protractus est, quem cum Discipulis antè transierat.

PRECATIO.

O Rem verè miram! Potens ille Deus sinit se crudeliter & ignominiosè trahi per insaniam hominum; & homo infimus non permittit se suaviter, & honorificè duci per Sapientiam Numinis.

Itaque jam nunc, ô Deus meus, deduc me, quacumque placuerit viâ, promptè comitantem; & nocte, & die; & hyeme, & æstate; per uda, nuda, rigida, frigida; per prospera, per adversa.

Quod si sensum aut voluntatem meam contigerit obluctari, trahe illam vel invitam potenti brachio tuo ad arbitrium, & beneplacitum tuum. Siquidem indignissimum est, nolle se tradere in benignissimas manus illius, qui amore nostri se tradidit in manus sævissimas Judæorum. Da mihi hanc alacrem voluntatem Domine. Amen.

21. Annas.



Unus aſſiſtens Miniſtrorum dedit alapam JESU. *Joannis* 18. *v*. 22.

TYPUS. MICHÆAS.

Acceſſit Sedecias filius Chanaana, & percuſſit Michæam in maxillam, & dixit: Méne ergò dimiſit ſpiritus, & locutus eſt tibi? 3. Reg. 22. v. 24.

PROTOTYPON.

Veridicus Servator impudenter in facie cæſus eſt.

PRECATIO.

Audite Reges & Principes; audite Eccleſiaſtici & ſæculares: audite docti & Doctores, qui tanto ſtudio honorem veſtrum incolumem eſſe vultis; excipite lectionem, quam in hac nova ſchola dictat Magiſter noſter. Non dicit odienti ſe, inhonoranti ſe, percutienti ſe; Diſcede à me maledicte in ignem æternum. Neque porrò triſti & amaro ſilentio internam coquit vindictam; ſed moderatè, pacificéque reſpondet, paratus amplecti, imò mori pro eo, qui ſibi tam fœdam, tam aſperam, tam ignominioſam, tam cruentam alapam impegit.

JESU Præceptor, aperi intellectum meum; ut hæc divina dictata capere valeam, & largire uberem gratiam, ut opere exequi poſſim. Amen.

22. Caiphas.



Velaverunt eum, & percutiebant faciem ejus , & interrogabant eum, dicentes: Prophetiza. *Luc.* 22. *v.* 64.

Typus, Samson.

Quem cùm apprehendiſſent Philiſthiim, ſtatim eruerunt oculos ejus, & duxerunt Gazam vinctum catenis, & clauſum in carcere molere fecerunt. Judic.16.v.21.

PROTOTYPON.

CHRISTO *Judæi oculos velârunt, multâque percuſſione & contumeliis per noctem onerârunt.*

PRECATIO.

Quid agitis concubiâ nocte, filii hominum? & quid patitur per noctem filius Dei? Quando vos ſecurè dormitis, vigilat ille pro vobis. Quando vos fortaſſe peccatis, ſatisfacit ille pro criminibus veſtris. Sub hoc triſti oculorum ſuorum involucro lacrymis madens conſpicit illud, quod ad ſui doloris augmentum à vobis agitur poſt cortinam.

O Angeli, qui iſti ſpectaculo præſentes adeſtis, eja in mei ſolatium auferte velum illud à diviniſſimis CHRISTI oculis; ut cum omni ſubmiſſione, atque fiducia queam dicere: Aſpice me, Domine JESU, & miſerere mei; illos tuos amabiles, illos tuos miſericordes oculos ad me converte, & ignoſce omnibus peccatis meis, ſive nocte, ſive die patratis. Amen.

23. Pilatus.



Cœperunt autem eum accuſare, dicentes: hunc invénimus ſubvertentem gentem noſtram.
Lucæ 23. v. 2.

TYPUS. DANIEL.

Tunc respondentes dixerunt coram Rege: Daniel de filiis captivitatis Juda, non curavit de lege tua, & de edicto quod constituisti. Daniel. 6. v. 13.

PROTOTYPON.

CHRISTUS *apud Præsidem Pilatum iniquè traducitur.*

PRECATIO.

PRo tribunali Judaico, patientissime Domine, injustè insimulatus, & insons passus es. Non hoc satis: à Pontificum curia ad profanam vocaris; ut à subornatis testibus falsò accusatus agaris capitis reus, qui venturus es Judex vivorum ac mortuorum.

Quidnì omni voto contendam, Domine JESU, imitari te, tuóque amore perlibenter contumelias, & falsa testimonia, aut iniqua judicia perpeti? Utinam cum Apostolo dicam, & ex animo dicam: mihi pro minimo est, ut à vobis judicer, aut ab humano die! Ab universis, per me licet, arguar atque condemner; modò absolvar ab uno te Judice meo CHRISTO, & salvus fiam. Amen.

24. Herodes.



Sprevit illum Herodes cum exercitu suo, & illusit indutum veste albâ, & remisit ad Pilatum.
Luca 23. v. 11.

TYPUS. DAVID.

Ait Achis ad servos suos: Vidistis hominem insanum, quare adduxistis eum ad me? 1.Reg.21. vers.14.

PROTOTYPON.

CHRISTUS,*ipsamet Sapientia, ab Herode,dementis instar, albâ veste amicitur, & ad Pilatum remittitur.*

PRECATIO.

O Sapientia Patris, CHRISTE JESU, hîc in amictu candido, velut insanus haberis, subsannaris, illûderis à Judæis & Gentibus, à multis hominum millibus. In medium istorum me infero, ac dignitatem tuam ego agnosco, veneror sapientiam, adoro Majestatem.

Pro hisce contumeliis, irrisionibus, injuriis, insanísque clamoribus, te honorent, glorificēt, extollant omnium beatarum agmina mentium! Te universæ res creatæ eximiè laudent ac colant: & vel in solo tuo nomine, ô benedicte JESU, *omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum!*

Anhelo ut osculer extremam oram istius candidæ vestis, cum omni submissione, atque intimo dolore de omnibus meis peccatis; ut recuperem amictum niveum, & intaminatum gratiæ Baptismalis. Amen.

25. Flagellatio.



Tunc ergò apprehendit Pilatus JESUM, & flagellavit. *Joan. 19. vers. 1.*

TYPUS. HIEREMIAS.

Irati principes contra Hieremiam, cæsum eum miserunt in carcerem. Hier.37.v.14.

PROTOTYPON.

Imperio Pilati Servator tuus ad columnam vinctus atrocissimè flagellatur.

PRECATIO.

QUæ causa tot verberum, tot vulnerum, & sanguinis undique profluentis? O effrenis libido, ô carnis voluptas, ô fœda peccata, vos carnifices estis hujus innocentis, vos Tyranni, vos perduelles & jurati hostes Dei vestri.

Submississimè flagito, imò adjuro te, si ita loqui fas est, ô divinissime & castissime JESU, per hæc ipsa vulnera tua, ac sanguinem redundantem, extingue in lumbis meis humorem libidinis, ut in me remaneat virtus continentiæ, & castitatis.

Ah! quis me liberabit ab hac vesaniâ sensuum, & incantatione pessimâ? Quis à stimulo carnis, & ab Angelo Satanæ, qui me colaphizat? Præstet id potentissima gratia tua, JESU CHRISTE, & evincat illud infinitus in me indignissimum amor tuus, qui te pro ejusmodi peccatis tam cruentæ lanienæ subjecit. Amen.

26. Coronatio.



Imponunt ei plectentes ſpineam coronam, & cœperunt ſalutare eum; Ave Rex Judæorum. *Marc. 15. v. 17.*

Leva-

Typus. Aries Abrahami.

Levavit Abraham oculos suos, viditque post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro filio. Gen. 22. v. 13.

PROTOTYPON.

Ingenti tormento spineum sertum, tenerrimo Christi capiti infigitur.

PRECATIO.

O Spinæ omni rosâ gratiores, omni adamante pretiosiores, omni diademate nobiliores, quæ sublatæ estis in sublimem verticem Regis Regum, Domini Dominantium, Dei Deorum! Quis me beabit tam fortunato honore, ac munere? Quis mihi tribuet, ut vos ego non tantùm fronti meæ, cum Senensi Catharina, verùm penitissimo cordi imprimam?

Deinceps amore tui, mi Christe, omnes curas, capitis labores aut dolores, universas molestias, pressuras, ærumnas, quacumque ex parte obvenerint, pro beneficio cœlitus misso agnoscam. Siquidem non decet sub spinoso capite membrum esse delicatum; multò minùs, iniquo animo ferre, quidquid Dominus meus mihi secum ferendum esse decrevit. Amen.

27. Ecce Homo.



Dicit eis; Ecce Homo. Clamabant dicentes: Crucifige, crucifige eum. *Joan.* 19. *v.* 5.

Typus. Job.

Percussit Job *ulcere pessimo, à planta pedis usque ad verticem ejus.* Job 2.v.7.

PROTOTYPON.

Christus *toto corpore lacer, exponitur innumeræ multitudini, clamanti; Crucifige, Crucifige eum.*

PRECATIO.

Ecce homo, hominis Conditor, sic inhumano, imò ferino modo ab hominibus habitus, & undique sauciatus. Tuum silentium, ô dulcissime Jesu; dolore plenum, inclamat auribus meis: ô homo, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi. Coronavi caput tuum in misericordia & miserationibus; manus tuas implevi muneribus ac beneficiis; corpori tuo sanitatem, animæ salutem dedi: & ecce caput meum spinis pupugisti; manus arundine dedecorâsti; corpus vulneribus, animam dolore cumulâsti; & poteris porrò peccare, id est, clamare; Crucifige, crucifige eum?

Quàm confundor, mi amantissime Deus, hæc cogitans! Hactenus peccavi, fateor. Eja fluite oculi, cor disrúmpere, anima defice præ dolore, & ingenti pœnitudine; quia tam amabilem bonitatem, tam venerabilem Majestatem toties offendi. Non ampliùs Domine, non ampliùs! Amen.

28. Bajulatio Crucis.



Bajulans ſibi Crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariæ, locum. *Joan.19.v.17.*

Typus. Isaac.

Tulit quoque ligna holocauſti, & impoſuit ſuper Iſaac filium ſuum. Gen 22.v.6.

PROTOTYPON.

Crux gravis, humeris Servatoris graviter affectis injicitur.

PRECATIO.

O Cœleſtis Pater, ſi Unigenitus tuus, & Deus meus tam libenter, tam alacriter trabale lignum Crucis amplexus eſt, ut tuo parêret imperio; quâ fronte ego exiguam Crucem, quam mihi Majeſtas tua dignata fuit imponere, è cervice excutiam, ac tuæ æquiſſimæ voluntati obluctabor?

Subjicio me, ſubſterno me totum ad obſequium, ac nutum tuum, Deus meus! Paratum cor meum ad agendum: paratum cor meum ad patiendum, quidquid placuerit paternæ providentiæ tuæ. Ut adoro, ſic èt amo; ut colo, ſic èt amplector ſanctiſſimam voluntatem tuam, eamdémque æſtimo ſuper aurum & topazium; ſuper omnes delicias ac voluptates; ſuper omnem honorem ac famam; ſuper omne creatum bonum! Da mihi, in hoc ſenſu vivere ac mori, per virtutem ejus Crucis, in qua Unigenitus tuus, pro me mortuus eſt. Amen.

20. Primus lapſus ſub Cruce.



In loco ad occaſum vergente, Chriſtus in terram ſubſidit. *Adrichom. in deſcript.* Jeruſ. *n.118.*

Tulit

Typus. Scala Jacob.

Tulit de lapidibus qui jacebant, & ſupponens capiti ſuo dormivit in eodem loco, viditque in ſomno ſcalam ſtantem ſuper terram. Gen.28.v.11.

PROTOTYPON.

Crux eſt ſcala cœli, ſub qua non dormiens, ſed vigil, ſed defectis viribus jacet Servator.

PRECATIO.

DUm mihi pondere naturæ, ac mole difficultatum prægravatus cóncidit animus, humíque proſternitur; eja Domine, mihi robur adde, quo totus erigar ad cœptum iter mandatorum, ac conſiliorum tuorum alacriter proſequendum.

O ſi numquam in poſterum labar! tamen cadere ſi contingat, oro te Domine, per hunc primum lapſum tuum, ut ita velox exſurgam, perinde ac ſi numquam anteà cecidiſſem, aut deinceps eſſem caſurus, dicendo idemtidem; *Dixi, nunc cœpi.* Fiat id, precor mi Domine, gratiâ tuâ præveniente, comitante, & ſubſequente, ſine quâ nihil poſſum. *Dixi, nunc cœpi.* Amen.

30. Virginis-Matris occurſus.



Mœſtiſſimo filio mœſtiſſima Mater occurrit. *S. Bonavent. lib. Medit. vitæ Chriſti, cap. 77. Suarez Tom. 2. in 3. p. diſp. 98. ſect. 2.*

TYPUS. Virgines ad Oniam concursantes.

Accinctæ mulieres ciliciis pectus, per plateas confluebant: sed èt virgines quæ conclusæ erant, procurrebant ad Oniam. 2. Machab. 3. v. 1.

PROTOTYPON.

Virginum Virgo domo suá in viam publicam egressa, Filio suo miserandum in modum affecto, & afflicto obviàm procedit.

PRECATIO.

AN meus iste Filius, an meus est, inquit Mater, & Deus meus? Deus qui sedet inter Cherubinos, hìc incedit inter latrones? Deus qui adoratur in cœlo à millibus Angelorum, hìc vilipenditur in terra à millibus hominum? Deus qui tribus digitis sustinet molem terræ, hìc velut imbecillis curvatur sub Cruce? Deus qui omnibus benedicit, hìc maledicitur ab omnibus?

Hícne est Unigenitus meus? Illéne formosus præ filiis hominum, cui jam neque species, neque decor? Illéne filius hominis, qui jam vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis? Illéne Judex omnium, qui ab omnibus jam judicatus, & ad infamem crucem damnatus? Fluite lacrymæ, fluite, neque cessate aut die, aut nocte.

Ut hæ perennes sint lacrymæ, transfige cor meum tenerrimâ commiseratione tui, ô Mater, ô Fili! Amen.

31. Simon Cyrenæus.



Invenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem; hunc angariaverunt, ut tolleret Crucem ejus. *Matth.27.v.12.*

TYPUS. ETHAI.

In quocumque loco fueris, Domine mi rex, ſive in morte, ſive in vita, ibi erit ſervus tuus. 2. Reg. 15. verſ. 21.

PROTOTYPON.

Ne Chriſtus omnino deficiat, auxiliatricem manum adhibet Cyrenæus.

PRECATIO.

HEi mihi! quàm anhélas, mi amantiſſime Jesu, quàm exhauſtus es, ac propè ſuccumbis preſſus gravi Cruce, id eſt, meorum moleſto onere peccatorum! Porrò in hac triſti via, cruentis tuis paſſibus conſignatâ, reſpicis ad me, ac tacitè ſubſidium flagitas.

Venio Domine, & alacriter venio, geminam opem præſtare geſtiens: unam quidem; quia te eximo meorum mole criminum, dum hæc gratiâ tuâ fretus abhorreo, deteſtor, ejuro: alteram verò; quia partem oneris tui fero, dum proximo meo in moleſtiis, afflictionibus, crucibus ſuis ſubſidio, atque ſolatio eſſe conor. Equidem tibi præſtitum ſcio, proximo quodcumque præſtitero. Itaque me illi volens ac lubens impendam, ac ſuper-impendam. Amen.

32. Veronica.



Hæc Matrona sanguinolentam Christi faciem sindone suâ expressit; ut passim notum. *Adrichom.in descript.* Jerus. *n.* 118.

TYPUS. TUNICA JOSEPH CRUENTA.

Tunica filii mei eſt fera peſſima comedit eum, beſtia devoravit Joſeph. Gen. 37. v. 33.

PROTOTYPON.

Veronica CHRISTO *occurrit, cujus linteo ſanguinolentum ille vultum impreſſit.*

PRECATIO.

O Nobile linteum, ô pictura eximia, ô purpura pretioſa, ô facies divina! Propiùs accedo, ac ſtupens exclamo: haeccine eſt facies illius, de qua ſcriptum: Beati oculi qui vident, quæ vos videtis? Olim ſolatium fuit hominum, lætitia Angelorum; nunc dolor eſt utrorumque. O mutatio!

Ah! facies ſentibus obumbrata, lacrymis perpluta, ſudore irrigata, ſputis fœdata, verberibus livida, ſanguine decolorata, pallore mortis obducta!

O Pater cœleſtis, reſpice in ſuavem faciem CHRISTI tui & noſtri, & per merita ejus ac copioſam redemptionem noſtram, redime nos, & ſalva nos. Amen.

33. Secundus lapſus ad portam.



Ad portam Judiciariam iterum cadit. *Adrichom. ibidem.*

TYPUS. DUX AMASA.

Amasa conſperſus ſanguine jacebat in media via. 2.Reg.20.v.12.

PROTOTYPON.

Denuo ſubſidit humi Servator, cruentâ ſub Cruce.

PRECATIO.

TAnti ponderis eſt peccatum, ut eo onuſti robuſtiſſimi Angeli dehiſcentibus cœlis in barathrum ſint depreſſi; Core, Dathan, & Abiron, hiatu terræ ſint abſorpti; Jonas aperientibus ſeſe aquis ſit involutus; & hîc potens ille mundi Opifex videtur ſubſidere ſub intolerabili mole ingentium iniquitatum noſtrarum.

Ecce cœlum, terra, mare, Deus ipſe teſtatur, quanti ſint momenti, ponderíſque peccata: ecquando tandem intellectum adhibebo vel fidem; ut illorum pondus agnoſcam, & agnoſcendo deteſtans, non amplius in illa collabar? O fac mecum hanc miſericordiam, ô Deus miſericordiarum! Amen.

34. Filiæ Jerusalem flentes.



Filiæ Jerusalem, nolite flere super me; sed super vos ipsas flete, & super filios vestros. *Luc.23.v.28*

TYPUS. Super Josiâ mulierum planctus.

Omnes cantatores, atque cantatrices usque in præsentem diem, lamentationes super Josiam *replicant.* 2. Paral. 35. v. 25.

PROTOTYPON.

Israëlitides filiæ immensâ commiseratione tactæ luctuosam CHRISTI *sortem deplorant.*

PRECATIO.

NOn desideras, Domine, ut doleam super dolore tuo ; sed super potissimâ causâ doloris tui, hoc est, ut de sceleribus meis intimè trister.

Quis igitur mihi dabit aquas , imò quis omnes venas, arterias, nervos, ossa, membra universa corporis mei vertet in Oceanum lacrymarum? ut plangam in amarissima amaritudine animæ, omnes iniquitates quas commisi, sive cogitationibus, sive verbis, sive operibus, per annos jam decem, viginti, triginta, & quod excedit?

Hei mihi! Cur ego bonitatem illam, inexhaustam Dei bonitatem , sic N. & sic N. & toties offendi? quæ me amavit, & ita amavit, ut morte suâ mihi vitam emerit, qui meritus fui, & sæpius meritus interitum sempiternum? Auge, Domine, profluvium harum lacrymarum. Amen.

35. Ultimus lapſus.



Ad montem Calvariæ ſub Cruce proſternitur. *Adrichom. in deſcript.* J.*ruſal. n.* 118.

TYPUS. ONIAS.

Sacerdotes ante altare cum ſtolis Sacerdotalibus jactaverunt ſe. Jam verò qui videbat ſummi Sacerdotis vultum, mente vulnerabatur. 2. Machab. 3. v. 15. & 16.

PROTOTYPON,

Ad Calvariæ montis aſcenſum poſtremò cadit.

PRECATIO.

O Sacerdos magne, JESU CHRISTE, qui ad crepidinem montis hujus, velut ad pedem altaris tui proſtratus jaces, in quo Patri oblaturus es *hoſtiã puram, hoſtiam ſanctam, hoſtiam immaculatam*, pro hominibus impuris, profanis, inquinatis; mihi quoque peccatori de multitudine miſerationum tuarum, & Sacrificii hujus partem aliquam largiri digneris.

Porrò per hanc nimiam animi tui demiſſionem enixiſſimè poſtulo; ut quoties ego aliíque ad venerabilem Aram tuam, & ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium accedimus, toties in ſpiritu humilitatis, & animo contrito à te ſuſcipiamur, & omni benedictione cœleſti repleamur. Amen.

36. Extractio vestis, & fellis oblatio.



Hîc tunica illius extracta. *Adrich. ibid.*

Dederunt ei bibere vinum cum felle mixtum. *Matth. 27 v. 34.*

Fa-

TYPUS. JEREMIAS.

Factus ſum in deriſum omni populo. Replevit me amaritudinibus, inebriavit me abſynthio. Thren. 3. v. 14. & 15.

PROTOTYPON.

Ei veſtis extrahitur, & loco ſolatii felle potatur.

PRECATIO.

FUribus atque latronibus ad extremum ſupplicium damnatis, ex inſitâ hominibus commiſeratione, aliquid generoſioris potûs aut vini ſolet offerri. Eheu! tantillum ſolatii tuo ſubtrahitur Redemptori, cui in graviſſimâ corporis, animíque ærumnâ, ad ludibrium ſimul ac cruciatum, fel propinatur.

O Chriſtiani, pro iſto innocente ita defatigato, ita ſaucio, ita prorſus exhauſto emendico, propter amorem DEI, pauxillum aquæ; ſed aquæ ex oculo manantis, ex corde depromptæ.

O lacrymæ, ubi jam eſtis? Ah! quoties pro rebus nihili curritis expeditæ; & nunc moramini? O Domine, adaperi cataractas cordis mei; fluant lacrymæ, fluant; ſive commiſerationis, ſuper innumeris ſuppliciis tuis; ſive pœnitudinis, ſuper innumeris peccatis meis. Amen.

37. Humi crucifixio.



Poſtquam venerunt in locum, qui dicitur Calvariæ, ibi crucifixerunt eum. *Luc. 23. v. 33.*





TYPUS. SAMSON.

Si ſeptem crines capitis mei cum licio plexueris, & clavum his circumligatum terræ fixeris, infirmus ero. Judic.16.v.13.

PROTOTYPON.

Indigniſſimè CHRISTUS *humi projicitur, & immani tormento ſuper Cruce extenditur, & clavis affigitur.*

PRECATIO.

O Anima mea, dixiſti ſæpius, ubi eſt Dilectus meus, ubi CHRISTUS meus? Num quem diligit anima mea, vidiſtis? Adeſdum, modò conſpiciendus eſt loco patenti, atque ſpectabili; videndus in Calvariæ jugo; ibi cubat in meridie; nuſquam aufugiet clavis firmatus.

Dicam jam liberè, invêni quem diligit anima mea; tenebo, nec dimittam eum, donec benedixerit mihi; id eſt, inflammatam, ſe imitandi, mihi dederit voluntatem. Jam dedit. Siquidem modò paratus ſum, oculos, aures, linguam, manus, pedes, cor ipſius ſanctis mandatis, imperióque ſubjicere. Quin-imò illius incenſus amore, paratus ſum omnium pedibus ſubſterni, ab omnibus ſperni, rideri, conculcari. Quid inſuper? Gratiâ tuâ juvante, mi Chriſte, paratus ſum ut reus haberi, omnium minimus eſſe, in paupertate, fame, ſiti, calore, gelu, ærumnis tecum vivere, & tecum in Cruce mori. Amen.

38. Suspendium in Cruce.



Stabat juxta Crucem JESU, Mater ejus. *Joan.19.v.25.*

TYPUS. SERPENS MOSAICUS.

Fecit Moyses serpentem æneum, & posuit eum pro signo, quem cùm percussi aspicerent, sanabantur. Num.21.v.9.

PROTOTYPON.

Vulneratus pendet in ligno, benedictus filius Dei, velut maledictus, ut omnium vulneribus medeatur.

PRECATIO.

O Peccatrix anima, quid rependis tuo Redemptori, qui pro te tot contumeliis fuit affectus; tot doloribus pressus; tantum sanguinis fudit? Dominus tuus & Deus tuus suspensus est in patibulo, & tu tuæ dabis operam voluptati? Ubi Christus tuus habet manus, pedésque perfossos, quid tu manibus tuis, quid pedibus agis, te ad tale vel tale consortium conferendo?

Absit à me, ô amabilis Domine, absit, ut pristinis peccatis & istis N. & illis N. te denuo crucifigam. Jam nunc statuo, firmitérque propono, te unum diligere, tibi uni servire ad mortem usque, qui me amâsti usque ad mortem Crucis. Id fiet gratiâ tuâ comite, & patrocinio Virginis-Matris, Virginísque Discipuli, sub Cruce stantium. Amen.

39. Exceptio in ſinum Matris.



E Cruce depoſitus, gremio materno excipitur. Etiamnùm is locus oſtenditur. *Adrichom. in deſcript.* Jeruſ.*n.255.*

TYPUS. SUNAMITIS.

Poſuit filium *illa,ſuper genua ſua,uſque ad meridiem, & mortuus eſt*.4.Reg.4.v.20.

PROTOTYPON.

Filium de Cruce depoſitum gremio Mater excepit.

PRECATIO.

Quis mihi dabit, ut diviniſſimo illi corpori ſupplex,ac pronus advolvar? In ſpiritu exoſculor illos adorandos pedes, quos eheu! deviis viis, impiíſque veſtigiis læſi; oſculor illas venerabiles manus, quas operum meorum malignitate transfodi; oſculor hoc amabile pectus, quod ſæpenumerò, pravis amoribus, deſideriíſque offendi; benedictum os illud exoſculor, quod verbis diſſolutis, crebrâque intemperantiâ ſauciavi; amplector ſacra illa membra,quæ meo corpore profanavi.

Non obſtantibus ſceleribus iſtis meis adrêpo fidenter ad Deum meum, non jam fulmine armatum,ſed undique vulneratum;& exclamo contritus ac gemens:parce mihi Domine, qui ut ſanarer ſauciatus es,ut viverem mortuus es! Amen.

40. Sepultura.



Posuit eum in monumento, quod excisum de petra. *Marci* 15. *vers.*46.

Typus. Jonas.

Erat Jonas in ventre piscis tribus diebus, & tribus noctibus. Jonæ 2.v.11.

PROTOTYPON.

Sepulcro CHRISTI *corpus infertur, quod ibidem triduo mansit.*

PRECATIO.

O Domine virtutum, te precor impense, ut singulares virtutes tuæ medeantur singularibus vitiis meis; ut tua humilitas meæ arrogantiæ; tua liberalitas meæ avaritiæ; tua castitas meæ libidini; tua charitas meæ invidiæ; tua mansuetudo meæ iræ; tua temperantia meæ gulæ; tuus labor meæ desidiæ; universæ virtutes tuæ, universis peccatis meis potens remedium conferant.

Ad extremum tibi supplico, ô amator animarum, ut quidquid commisi, & in quocumque, usque ad hoc ipsum momentum, offendi amabilem bonitatem, & adorabilem majestatem tuam, id omne digneris hoc tuo sepulcro inferre, & in æternum sepelire; ut in novam resurgens vitam, tibi soli perpetuò vivam, qui pro me perpetuâ in Cruce vixisti, & in Cruce mortuus es. Amen.

ALIA PRECATIO,
in gratiarum actionem, & augmentum cultûs Perpetuæ Crucis.

OMnes homines noverint te, & ament te, Crucifixe JESU! *nec plura desidero. Id oro per Crucem ab æterno pro me electam, & acceptatam in Incarnatione, Nativitate, Circumcisione, O[illegible], Fugâ in Ægyptum, Subtractione à parenti[illegible]us, Fa[illegible]ore, Morte Nutritii Josephi, Tentatione diaboli, Defatigatione ad fontem, Irrisione Judæorum, Decollatione Baptistæ, Injuriâ lapidationis, & Præcipitationis de monte.*

Idipsum oro per quidquid passus es in Valedictione Matris, Ultimâ cœnâ, cui interfuit proditor; Horto, Osculo Judæ, Torrente Cedron, Curiâ Annæ, Caiphæ, Pilati, Herodis; in Flagellatione, Coronatione, Expositione ad populum, Bajulatione Crucis, Primo lapsu, Matris occursu, Cyrenæo, Veronicâ, Secundo lapsu, Filiabus Hierusalem, Ultimo lapsu, Vestis extractione cum potu fellis, Humi crucifixione, Suspendio, Recubitu in sinu Matris, denique Sepulturâ. Iterum iterúmque oro per omnes hasce Cruces, ut omnes homines noverint te, & ament te, Crucifixe JESU! *nec plura desidero. Amen.*

Ad majorem gloriam Perpetuò Crucifixi JESU.

F I N I S.

U CHR

IO,

augme

ucis.

ament te,

o. Id oro per C

ceptatam

sione, O

parentis.

hi, Tentat

Irrisione Jud

lapidationis

s in Valedict

erfuit prodit

n, Curiâ An

llatione, C

, Bajulation

, Cyrenæo, Ve

usalem, Ultim

llu, Humi cru

nu Matris, d

e oro per

overint te. O

plura desi

Crucifixi Jesu

S.

